

48. *Ornithidium densum* = *Maxillaria densa* Lindl.:

Perigonii sepala lanceolata acuminata, lateralia labello supposita. Tepala lanceolata duplo minora. Labellum arrectum ab ungue immobili ac gynostemio producto, trilobum; lobi laterales trianguli postici erecti, lobus medius ligulatus (hinc poteris labellum dicere obtuse sagittatum) carina obtusa semilunata transversa inter lobos laterales foveam mucosam antice cingens quae unguem usque producitur. Gynostemium semiteres. Androclinium immersum apice fissum supra foveam obtuse triangulam utrinque brachiato productum. Anguli gynostemii laterales pone rostellum paulo retrorsi Anthera obtuse conica cum apiculo. Pollinia sphæroidea aequalia flava. Caudicula linearis cum glandula molli.